



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 5. An ad validam consecrationem necesse est, ut materia consecranda
determinetur in particulari, per intentionem Sacerdotis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

consecrat, simul eas intendat consecrare, sub conditione, si non sint consecratæ; vel id ipse die sequenti in suo sacro faciat. Quòd si dubium sit de valore consecrationis alterutrius materiæ pro sacrificio constitutæ, debent iterum verba consecrationis super illam materiam proferri sub conditione: & si dubium sit de valore materiæ, v. g. quia præsumitur vinum esse acetum, vel aqua plurimo vino mixta, debet certam aliam consecrare, ne sacrificium imperfectum relinquat, & post Communionem sumere materiam dubiam.

Q. 5. An ad validam consecrationem necesse est, ut materia consecranda determinetur in particulari per intentionem Sacerdotis?

Resp. Aff. Quia 1. Missale Rom. de defect. sic habet: Si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat; quia requiritur intentio. Secus, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat, nam tunc omnes erunt consecratæ: atque ideo quilibet Sacerdos talem intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet. 2. Quia actiones sunt circa singularia determinata: ergo intentio Ministri, quæ est causa practica consecrationis, ferri debet circa materiam determinatam. 3. cum forma Eucharistiæ sit demonstrativa, exigit determinationem rei demon-
stran-

strandæ; res enim indeterminata demonstrari nequit. Non est tamen necesse singulas hostias designari quoad numerum, sed sufficit eas designari in toto objecto quod proponitur, v. g. ut Sacerdos intendat consecrare omnes hostias præsentis, etsi ignoret illarum numerum, vel circa illum erret, ut patet ex Rubrica cit. Imò si plures hostias habeat quàm sumere statuerat, omnes consecrantur; quia omnes sunt ei moraliter præsentis, & intendit consecrare id quod præsens est. Nec error speculativus tollit intentionem absolutam consecrandi materiam præsentem, quam ut debitam censetur habere implicite, nisi eam expressè excludat. Hinc si putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Missale Rom.

Q. 6. An quævis minutissima materia potest valide consecrari?

Resp. Aff. Modò sit sensu perceptibilis, nam talis materia potest esse signum sensibile, & per verba consecrationis ad sensum demonstrari. At si particulæ panis vel vini ita sint exiguæ, ut nequeant naturaliter sensu percipi, non possunt validè consecrari. Quia non possunt demonstrari præsentis in ordine ad sensum, prout exigunt voces *hic* & *hoc*; & quia Sacramentum debet esse signum sensibile. Non